



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Christophori || Helvici || In Academia Giessena Quondam  
Do-||ctoris & Professoris, Theologi, Philo-||sophi, Historici,  
Chronologi, Philologi || laudatissimi, Libri || Didactici,||  
Grammaticæ || ...**

**Helwig, Christoph**

**Giessae, 1619**

Ad Lectorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70031)

In prima interpretatione Verba tantum in Lexico inquiruntur. In Secunda tantum Nomina. Utraque hoc modo:

Data voce, si primigenia sit, eam Præceptor in Lexico inquit, & indicatâ paginâ discipulos itidem quemlibet in suo Lexico inquirere jubet: sin derivata sit, ejus primitivum in Lexico commonstrat. Repetit ejus genus, declinationem, conjugationem, præteritum è Grammatica &c. Inde ad Derivata progreditur, sed ea tantum, quæ usitata, frequentia, & trita sunt, producit in medium, [ eaq, peculiari notâ insignita erunt in Lexico. ] ceteris neglectis. Si quod derivatum alibi in autore extet, id monendum est. Inde ad Composita transit, & summo tantum fastigio illa attingit, ut: Rego, rex, rector, regina, regula, &c. Arrigo, (ich rech in die Höhe / Corrigo, (ich bring zu recht / verbesse / Erigo, (ich rech auf / richte auf &c. neglectis derivatis, ( præsertim Supinalibus, nam illa proprio Marte formari possunt ) nisi insignia sint, aut in autore ipso extet, ut Pergo, Expergiscor.

Postquam una radix hoc pacto absoluta est, pergit ad aliam, & sic deinceps per totam lectionem. Neg, opus hic est, una hora totum folium absolvi ( nam id impossibile, præsertim ab initio, ob multitudinem radicum ) sed omnes diei hora, uni folio relinquuntur.

Si quid verò temporis superfit, id tribuendum est Verstori Latina exercitii, è presenti textu auctoris desumpti, quod Præceptor in ipsa hora Germanicè dictat, & alternatim vel ex tempore Latine proferrit, vel in Latinum scripto transferri postulat. Idque quamprimum redditum est à singulis, ipse si quid erratum, corrigit, at deinde ipsemet Latine profert: Scriptum verò & à seipso domi antea versum clara voce pronuntiat, & quidem variato aliquoties versionis stylo, Ex quo singulos jubet suas versiones emendare. Hoc modo labor inspiciendi singulas versiones tollitur, & nihilominus finis inspiciendorum exercitiorum obtinetur.

## F I N I S.

---

### A D L E C T O R E M.

In Opusculis Didacticis quædam adhuc sunt residua, quæ hac vice non potuimus in lucem edere. Nempe in primis Conjugationes Hebrææ & Chaldaicæ, Lexicon item in Sancta Linguâ diligenter concinnatum. Causa autem fuit, præter temporis brevitatem, quòd Typographia in tanta festinatione non potuit, et si studiosè in hanc curam incumberet Typographus, satis instrui literis sive typis Hebraicis, quorum & copia & diversitas in primis hinc requiritur. Tu, L E C T O R benevole, his interim fructe, & reliqua à nobis propediem expecta.

